STANISLAI CARNCOVII

EPISCOPI VLADISLAVIENSIS.

AD

HENRICVM VALESIVM POLONIARVM REGEM DES.

PANEGYRICVS.



PARISIIS,
Ex Officina Federici Morelli Typographi Regij.
M D. LXXIIII.

CVM PRIVILEGIO.



STANISLAI CARNCOVII, EPISCOPI VLADISLAVIENSIS, AD HENRICVM VALESIVM POLONIARVM REGEM DES. Panegyricus.

SI AVT res ipsa id desideraret, aut verò per rationes regni publicas licitum nobis id fuisset, Serenissime Rex, profectò nihil libentius hoc tempore fecisset tum Senatus ipse amplissimus, tum Equester ordo vniuersus, quàm vt frequentes admodum hunc in locum, honoris tui gratulationísque causa, confluerent, & lætitiam, quam ex hoc felici tuo ad se aduentu capiunt, præsentes pro se quisque testarentur. Verùm quoniam & rei quidem ipsi taliter satisfieri posse videbatur, & præsens status temporum Reipub. nostræ, tantum concursum in hoc loco, quantus ex omnium ordinum hominúmque conuentu futurus erat, non ferebat: idcirco nos vice

omnium ablegati ſumus, qui his partibus apud te pro omnibus defungeremur. Quod ſanè, pro eo ac debemus, facimus, téque Regem, à nobis prius expetitum, mox electum, nunc verò tandem ad nos felicibus auſpiciis aduentãtem, omnium nomine ſumma cum veneratione excipimus, & exceptum optimis omnibus ominibus proſequimur, aduentúmque hunc tuum verè & ex animo, cùm tibi, tum reipub. noſtræ gratulamur. At quanta quæſo alacritate animorum? Equidem ſi nos ſpectas, quos coràm intueris, tanta alacritate, quãtam maximam capere animi noſtri poſſunt: ſin eos, à quibus tibi obuiam prodire iuſſi ſumus, profectò nulla eſt tanta dicendi copia, quæ incredibilia illorũ erga te ſtudia verbis conſequi, nulla tanta ingenij vbertas, quæ immenſam illam lætitiæ vim, quam ex omnibus tuis rebus bonis capiunt, ſatis comprehendere poſſe videatur. In quo campum, mehercule, illum Varſouienſem, qui electioni tuæ dicatus fuit & conſecratus, appellamus: qui quidem donec præterlabentis Viſtulæ fluctibus alluetur, teſtis erit locupletiſſimus egregiæ noſtræ erga te familiámque tuam regiam voluntatis. Appellamus etiam in eo cùm vniuerſum illud electionis tempus, quod conſiliorum actionúmque noſtrarum ad tuam gloriam deſtinatarum fuit conſcium, tum verò in primis fauſtam illam, & in omnẽ poſteritatem Gallici Polonicíque nominis memorandam diem, qua te, concordibus admodum omnium non

  ſolùm

ſolùm ordinum, ſed etiam hominum ſuffragiis, Regem noſtrum renunciauimus: quæ quidem dies teſtis eſt, erítque in perpetuum, noſtræ non modò de tua virtute, induſtria, ſapientia, felicitate, præclariſſimæ opinionis: verumetiam de rebus tuis proſperis, & ad voluntatem fluentibus, ſingularis gratulationis. Etenim cùm primùm in ipſo electionis noſtræ initio, ſanctum Dei Spiritum ſolenni hymno ſupplices de more venerati eſſemus, vidiſſes cõfeſtim, alios præ gaudio, & iam tum erga te ſtudio ſingulari, lachrymas fundere, ac pro te Deo Opt. & Max. vota nuncupare, alios haſtas ſuas liliis tuis candentibus inſignire: audiſſes verò deinde alios extra ſuffragia, ſuis vocibus tuum nomen aſſiduè ingeminantes: alios autem in media ferẽdorum ſuffragiorum religione, ita nomini deuotos & addictos tuo, vt, niſi tu Rex noſter eligereris, actum eſſe propemodum putarent de repub. ipſa vniuerſa. Quid dicam, te Rege electo & renunciato? Muta, mediusfidius, ipſa & inanima, campi, ſyluæ, prata, nemora, agri, fluuij, ripæ, laudes tuas, permiſto tum hominum applauſu, tum auium concentu, tum equorum hinnitu, perſonare quodammodo videbãtur. Atque hæc quidem, etiam tum abſente te, & Rupellana obſidione ita in Gallia occupato, vt in illo ſtrepitu armorum, vix Poloniæ noſtræ meminiſſe poſſes, apud nos ſic fiebant: quid nunc cenſes, cùm te, opem, ſalutem, præſidium, &, vt vno verbo dicam, Regem noſtrum, ſaluum & inco-

lumem, ad regnum tibi diuinitùs decretum, & à nobis delatum, aduenisse, cæteri passim omnes audiunt, nos verò, quos hîc publico nomine coràm adesse vides, etiam præsentes intuemur? Equidem vt gustum iam nunc aliquē habere possis eius lætitię, qua omnes regni ordines, sacri, profani, summi, medij, infimi, ex aduentu isto tuo prospero & salutari perfunduntur, recensebo tibi breuiter totius electionis nostræ rationem. Sic enim teipsum, & paulò antè diuinitùs ad inclyti huius regni gubernacula, summa nostra voluntate electum ac vocatū esse intelliges, & nunc aduentantem, singulari cum studio excipi à nobis, & regno inuitari perspicies & cognosces.

AC mihi quidem tribus potissimùm temporibus eluxisse videntur in hac electione singularia tum Dei Opt. Max. de te iudicia, tum gentis quoque ac nationis nostræ erga te studia. Nam & renunciationem ipsam electionis antecesserunt nonnulla eiusmodi, quæ iam tum nostrorum hominū erga te studia non obscurè præseferre videbantur: & deinde, tam in renunciatione ipsa electionis, quàm post renunciationem etiam ipsam, ea consecuta sunt, quæ maximo tibi argumento esse debeant ardentissimæ nostræ erga te voluntatis. Quæ tu sanè hoc loco dum breuiter cognoscis, debebis profectò & honorem quidem Domino Deo debitum tribuere, & nos quoque ex eiusmodi nostro merito, pro singulari tua humanitate adamare.

NAM

NAM cùm Reſpublica noſtra tribus maximè hominum ordinibus contineatur, Regia poteſtate, quæ imperat: Equeſtri ordine, qui paret: & Senatorio, inter hos interiecto, qui conſulit: profectò exempto ex rebus humanis Rege Sigiſmundo Auguſto, ita vt nullus tum alius nobis ſupereſſet Rex, ſiue natura factus, quod eſt prorſus à legibus & moribus noſtris alienum, ſiue electione noſtra deſignatus: conſtabat in vniuerſum, omnem regendæ & adminiſtrandæ reipub. rationem ad Senatum & ad Patres neceſſariò rediiſſe: vt pote quorum ætas, dignitas, conditio, alterius illius in repub. alioqui honeſtiſſimi ordinis ætatem, dignitatem, conditionem, ſine dubio antecellat. Cúmque adeò inter Patres ipſos, magna quædam & præcipua excellentia ac præſtantia ſingularis, Archiepiſcopis Gneſnenſib. legibus ac moribus regni noſtri ſit attributa: qui & Rege ipſo viuo primas partes ſecundum eum in regno obtinent, & eo vita functo, omnia publica conſilia moderantur more maiorũ: hoc quidem in omnes partes tutius, quòd, cùm inter Eccleſiaſticos homines, quibus perſona regia rectè imponi non poteſt, cenſeantur, à ſuſpicione regni affectati prorſus ſint remoti. Inde factum eſt, vt redacta ſanè repub. Rege mortuo in Senatus poteſtatem, vt diximus, confeſtim data ſit à nobis opera, vt conuentus Senatorum cùm alibi, tum Louicij in primis ſeptimo ferè poſt Regis obitum die, & deinde aliquanto pòſt Varſouiæ, per nos haberentur.

Quibus quidem vtrisque in conuentibus cùm Archiepiscopus ipse non solùm interesset, verumetiam vti oportuit, præesset, prouisum est diligenter, præter cætera quæ ad futuri regis electionem pertinebãt, vt modus quoque & ratio inuestigaretur, atque etiã de sententia omnium præscriberetur, tum regni finium milite firmandorum, tum iudiciorum denique domi constituendorum per tempus Interregni. Vt ita duo firmamenta duobus illis malis opponerentur, quæ tum temporis Regno ipsi maximè impendere, & maximum periculum creare posse videbantur. Nam & mores profectò ipsi impunitate superiorum temporum corrupti, licentiam magnam in populo generauerant, quæ necessariò videbatur esse rigore iudiciorũ astringenda: & desuetudo præterea rei militaris in animis nostris, quos non mediocriter ocio illo diuturno elanguisse, hostes ipsi persuasum habebant, facilè, per hanc occasionem regis mortui, incursiones eorum in hoc regnum potuit excitare: quæ sanè, nisi terrore armorum & præsidiorum nostrorum opposito, rectè reprimi non potuerunt. Itaque duabus his rebus perfecimus, Rex, vt per totum hoc Interregni tempus, quod fuit, vt scis, plusquã annuũ, regnum ipsum primò integrum, nec quicquam ex eo statu, in quo à moriente rege relictum fuit, per hostes externos diminutum, deinde verò nullis nouis difficultatibus domesticis implicatum, per Dei gratiam conseruauerimus. Quæ res si

forte

forte olim non vſque adeò ad te pertinuit, cùm tu necdum Rex noſter creatus eſſes, nec inter competitores regni noſtri ſolus numerarêre, nunc planè diuinitùs tota ceſſit in beneficium tuum: cùm regnum ipſum per Dei gratiam inis incolume, & nullis recens excitatis difficultatibus impeditum. Sed quid poſtea factum eſt? Dicam, vt iam propiùs res ipſas tuas contemplari incipias. Quæ enim hactenus dicta ſunt, ea magis ad conſtituendas interregni rationes, ante noui Regis electionem, quàm ad electionem ipſam videntur pertinuiſſe. Cæterum conſtituto iam ex S. C. die & loco eiuſmodi electionis, conſtituto autem ad Varſouiam in campo Camionēſi, ad diem Aprilis quintam, conuentum eſt magno Senatorum & infinito Equitum numero: qui quidem conuentus eiuſmodi, omnium intuentium oculis, delectus cuiuſpiam frequentiſſimi, vel potius centuriatorum Romanorum Comitiorum ſpeciem repræſentare videbatur. Vbi exauditis ante omnia, in maximo tabernaculo, quod de induſtria cōmunibus omnium Palatinatuum negociis militariter poſitum ac præparatum fuit, externis legationibus, quæ ſanè nec paucæ numero, nec dignitate mediocres erant: à pleriſque enim ſummis orbis terrarum Principibus & Monarchis miſſæ & ablegatæ fuerunt: poſteaquam à Nobilitate ad electionem conclamatum, & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, qui ſemper habitus eſt princeps & os Senatus, decretum ac pronunciatum eſſet,

vt in ſingulorum Palatinatuum tentoria, quæ maximo illi tabernaculo vicina, circumcircà fixa fortè ac locata erant, veluti in tribus quaſdam & claſſes diſcederetur: tum repetitis ſummatim capitibus ſingularum legationum externarum in ſingulis Palatinatibus, propter eos qui exponendis illis aut adeſſe ipſi tam frequenti numero, aut verò etiam cùm adeſſent, exaudire fortè eas non potuerũt: & repetitis quidem per Senatores ipſos, ac eos prætereà quos Nobilitas ipſa ex ſe, ad exaudiendas & ſibi referẽdas legationes eiuſmodi, iam antea deſignarat, itum eſt in ſuffragia. In quibus ferendis (libenter enim ea perſequimur, quæ ad demonſtrandam ſingularem huius iſtius electionis noſtræ cautionem videntur pertinere) ea moderatione vſi ſumus, vt neque quiſquam noſtrûm ſuffragio excludi, neque idem exaduerſo libertate ſua abuti videretur. Dixit enim qui voluit, & quod voluit, & quãdiu voluit, Senatoribus tamen præeuntibus, & varietatem ſententiarum conciliantibus, & candidatorum numerum ad minimum, quoad eius fieri potuit, redigentibus, & denique nomina tum candidatorum, tum ſuffragatorum, in ſcriptum referentibus, & ſigillis prætereà cuiuſque obſignantibus: ſic tamen, vt mutandæ ſuæ cuique ſententiæ poteſtas ad extremum remaneret. Quid tum poſteà? O ſingularem & planè diuinam ſortem tuam! Referuntur tabellæ ſuffragiorum ſcriptæ & obſignatæ, in maximum illud tabernaculum, & in conſpectum

Senatus

Senatus vniuersi. Leguntur & recitãtur nomina tam candidatorum, quàm suffragatorũ. Ecce autem primam honoris tui prærogatiuã. Vincis enim, HENRICE, iam tum quoque, & superas suffragiorum numero Competitores omnes: & vincis quidem sic, vt, si numero solo standum esset, tu reliquos omnes, illo iam ipso tempore, longo post te interuallo relinqueres, & ipse sine mora Rex euaderes. Verùm id quoque, ad maiorem laudis & gloriæ tuæ materiam ac segetem, aliquantisper dilatum fuit. Nam cùm Deo in primis Optimo & Max. qui tui capitis tuíque honoris singularem curam gerit; deinde nobis etiam ipsis, qui te Regem habituri eramus, parum visum esset, te numero solo suffragiorum Regem designari, nisi etiam ponderibus ipsis & momentis suffragiorum à nobis designarêre, inita est altera quoque Regis eligendi ratio, à moribus planè aliarum, cùm veterum tùm recẽtium benè ordinatarum Rerumpublicarum, minimè aliena, vt nimirum sui cuique candidato veluti patroni & aduocati ex Senatoribus constituerentur, viri non magis auctoritate quàm prudentia & eloquentia insignes, qui causam candidati cuiusque ita cum omni verborum honore tuerentur, vt acerbitati quidem verborum in alienum candidatum parceretur, momenta autem honestatis, vtilitatis, & aliarum rerum ac rationum omnium, quæ in hominum deliberationibus versari consueuerunt, diligẽtissimè excuterentur. Vt ad eum

iam modum non tam fauor cum fauore, aut ſtudium cum ſtudio, quàm res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione, argumentum cum argumento, ex propinquo confligere videretur. Seuerum & graue diſceptandi genus, addo etiam fortaſſis rigidum: ſed quò rigidius, hòc & noſtris ſanè rebus conducibilius, & tibi, Rex, qui hoc etiam contentionis genere ſuperior, Deo fauente, euaſiſti, honorificẽtius. Quid enim factum eſt? Principiò, noſtratium plerique, viri & claritate familiarum præſtãtes, & meritis in Rempub. inſignes, qui inter competitores, fauore nonnullorum ex Equeſtri ordine erant nominati, vltrò ſe eo fauore abdicarunt: vel quòd iam tunc tibi ac dignitati tuæ excellenti, volentes concederent, vel quòd omninò videri nollent, ſuo ſe ſiue iuſſu, ſiue conatu, ſiue adeò voluntate, inter competitores regiæ dignitatis fuiſſe nominatos. Deinde illorũ quoque magna pars, qui aliis candidatis (vti accidere neceſſe fuit, in tam ampla & libera republica) ſtudere non obſcurè videbantur, exaudita illa ac perpenſa conflictione rationum, non inuiti de priore ſententia ſua deceſſerunt, & in te ſuffragia contulerunt. Ita cùm cæteri quidem ſententias ſuas dεſererent, tui autem ſuffragatores in ſententia permanerẽt, factum eſt, vt ſicut prius numero, ita tunc pondere quoque ſuffragiorum, reliquos omnes cõpetitores anteires, & reipſa Rex iam propemodum fieres. Reſtabant enim pauci partium contrariarũ: quibus cùm odioſa illa

illa ac permolesta causarum conflictione iterum pugnare, cùm ex mutuo amore esse non videretur, neque suadendo quicquam amplius proficeretur, gratia & rogando in partes tuas sunt pertracti. Dederunt enim hoc precibus & auctoritati Senatus, qui id ab eis assurgens postulauit, dederunt modestiæ suæ, dederunt denique communi concordiæ, vt in te non inuiti quoque ipsi consentirent. Ita iam ex eo tempore Rex noster electus & designatus es, & regnum, quod antea, partim dispositis per confinia præsidiis integrum, partim constitutis per Palatinatus iudiciis expeditum conseruabatur, in incertum tùm adhuc quidem, Quem regnare velit hera, quemúe ferat fors, id tibi deinde potissimùm decretum à nobis, & quasi diuinitùs adiudicatum est, summa cum nostri erga te amoris, summa etiam cum diuinæ beneuolentiæ testificatione. Quid enim siue à nobis, siue à Deo etiam ipso immortali, in hac mortali vita tua illustrius ad tuam laudem excogitari potuit, quàm te vnum, ex tot gratiosissimis ac potentissimis Competitoribus, tanta varietate & copia suffragiorum bis, concorditer, non ab vna aliqua prouinciarum, sed ab omnibus prouinciis, nec à prouinciis tantùm, verùm etiam à singulis propemodum hominibus (quæ res non tantùm effectu est admirabilis, sed etiam ratione ipsa) tanti & tam latè patētis regni Dominum, ac Regem denique nostrum esse designatum? Quæ cùm ita se habeant, erítne adhuc obsecro quispiam,

qui ea, quæ in hac tam exquiſita electionis ratione, tam accuratè & tam diligenter geſta ſunt, aut ad temeritatem fortunæ referat, aut, quod etiam multò faciat impudentius, vel fraudi alicui occultæ, vel denique apertæ ipſi vi tribuenda exiſtimet? Quid habet, quæſo, fortuna commune cum ſuffragio libero? quid rei eſt temeritati cum ratione? quid fraudi cum conſilio? quid vi cum precibus? Quod ſi quid etiam eſſet, agè referat mihi ſaltem quiſque oculos pauliſper ad illas tum noſtras inter nos acres admodum & nimiùm ſeueras in hoc genere inquiſitiones. Deus bone, quid prætermiſſum eſt ad inueſtigandas, ſi quæ eſſent, latebras talium conſiliorum? quid in iis non quæſitum? quid non productum in medium? quid non excuſſum ab omnibus? quid non ad faſtidium vſque examinatum ac expenſum eſt? & tamen nihil repertum eſt eiuſmodi, quod non modò rem, ſed ſuſpicionem ſaltem aliquã veriſimilem venditi cuiquam aut promiſſi, aut etiam vi expreſſi ſuffragij habere videretur. Atque hæc ſunt quidem primi temporis, noſtræ erga te obſeruantiæ, & diuinæ denique beneuolentiæ, non obſcura argumenta.

Sequitur tempus alterum, in quo ſingularia noſtra erga te ſtudia, & multò etiã magis diuina ipſa beneficia eluxerunt. Eſt autem tempus renunciationis ipſius: quam ego ſanè breuiter ſic exponam. Electio & deſignatio tua, de qua modò loquuti ſumus, in diem eam incidit, quæ fuit pridie Pẽtecoſtes, dici

diei ſolenniſſimæ, & apud Chriſtianos omnes religioſiſſimæ. Incidit autem in tempus veſpertinum. Nihil vetabat amplius, quominus iam ita non modò electus ac deſignatus, ſed etiam omnibus rationibus euictus, & ab reliquis omnibus competitoribus ſolus defenſus ac vindicatus, Rex eueſtigiò promulgarêre & renunciarêre: & certè, vt id ita fieret, multa ſimul non ſolùm deſiderare, ſed etiam poſcere ac cõtendere videbantur. Quid igitur obſtitit, quominus fieret? Num tribuum fortaſſe fauor repentè commutatus? Minimè. Fremebant enim vno ore omnes, & renunciationem tui ſumma cum contentione flagitabant. Num igitur aduerſariorum competitorum potentia? Nequaquam. Hi enim aut nulli iam tum fuerant, aut omnem profectò contentionem abiecerant. Num igitur Archiepiſcopi Primatis, cuius illud renunciandi munus fuit proprium atque legitimum, aut alienus, aut alioqui minus promptus animus? Ne id quidem. Is enim non modò ad promulgandum & renunciandum ex officio ſuo, ſed etiam ex ſingulari ſtudio, ad refutandum, ſi quis fortè moram afferat, paratum ſe eſſe oſtendebat. Quid igitur? Equidem nihil planè eiuſmodi, quod iuſta aliqua ex cauſa rem impedire potuiſſe videretur: illud potius, quod non ſolùm impedire aut morari non debebat, ſed etiam, quòd maximè mirum eſt, tantò magis vrgere rem & accelerare debebat, Sol occaſus & ſerum ipſum diei: cùm videlicet homines

non ſolùm publica, ſed etiam priuata ſua, nec ſolùm iam facta & finita, verùm etiam inchoata & imperfecta, ad exitum tantò celeriorem ſtudent deducere. Sed nimirum hominis neſcio cuius leuiſſimi metus ob oculos verſabatur hominibus tui ſtudioſis, ne eſſet deinde, qui te, vt eſt his noſtris temporibus admodum dicax ſæculum, ex caligine & tenebris erutum, & obſcurum neſcio quem in hanc lucem regni ſubitò protractum Regem eſſe conuiciari poſſit. Res igitur dilata eſt in diem perendinum. Si aut exemplum quæras, aut rem ad rationem reuoces, nihil alienius: ſin exitum ſpectes, nihil admirabilius. Quæ enim ratio reperiri poteſt, cur certa iam res, & omnibus ſuis numeris abſoluta & confecta, à calce denuò ad carceres reuocari, & infinitis rurſus caſibus, ac nouis rerum conuerſionibus fieri debuerit obnoxia? aut verò quàm multa tandem, ex omni omnium annalium memoria exempla proferas, differendæ, non dico in diem, ſed vel in horam ſaltem eiuſmodi promulgationis? vbi præſertim electio ipſa omnibus in rebus rectè atque ordine geſta & adminiſtrata fuerit. Et tamẽ, quod alias non ferè ſolet euenire, id, cùm de tuo honore ageretur, euenit, promulgatio ipſa & renunciatio electionis perfectæ tuæ, vt in diem perendinum differretur. Quid igitur? Nunquis nos caſus aduerſus interpellauit? num quæ, vel leuiſſima ſaltẽ, conuerſio remorata eſt diuinam ſiue electionẽ, ſiue adeò renunciationẽ tuam? Minimè id quidem. Nam

cum

cùm deinde, vno pòst interiecto die, ad comitia intermissa rediissemus, etsi aliis quibusdam de rebus cõtrouersiæ non deessent, de te tamen Rege controuersia nulla prorsus extitit. O diuinam in rebus mortalium curã, & prouidentiam immutabilem & æternam! O diuini & singularis fauoris erga te specimen diuinum & admirabile! O insigne testimonium ad perpetuitatem, eos qui Deo fidunt, in mediis etiam rerum motibus & concussionibus, elusum non iri! Itaque sanè nulla interposita mora, Gnesnensis Archiepiscopus iure & prærogatiua sua, QVOD TIBIQVE, NOBISQVE, REIQVE PVBLICÆ NOSTRÆ, GALLICOQVE ET POLONICO NOMINI, TOTIQVE ADEO ORBI CHRISTIANO, BONVM, FAVSTVM, FELIXQVE SIT, præfatus cùm esset, te Regem nostrum verbis solennibus de more renunciauit. Quem ipsum deinde aliquot diebus interiectis Marsalci regni sequuti sunt: qui more & consuetudine maiorum, renunciatum per tribus publicarunt. O faustos ac felices dies illos! O lætas nostras acclamationes! O gratissimas tùm Deo immortali supplicationes nostras, cùm renunciatione per Archiepiscopum facta, euestigiò inde moti, magno concursu ex campo in vrbem facto, templum vrbis primarium certatim adiuissemus, & eidem illi præpotenti Deo, cui olim suffragia inituri sanctè ac religiosè supplicaueramus, gratias de te tuo nomine supplices atque gaudio la-

chrymabundi egissemus. Nunc quoque, Serenissime Rex, apud te hæc mihi memoráti, vis ingens lachrymarum prorumpere ex oculis videtur, monumentũ gaudij lætitiæque nostræ & supplicis ac gratæ nostræ erga diuinam maiestatem voluntatis. Quo quidem in loco tu quoque ipse, maximè vellem, vt intimis in præcordiis conceptam gratiarum actionem tuam reddas nobiscum Deo Opt. & immortali: qui tibi in hoc quasi secundo actu electionis tuæ, manifestissimis indiciis præsentem admodum sui numinis vim declarauit, & nostram quoque singularem erga te deuotionem nutu suo approbauit, eámque tibi in perpetuum commendauit. Omnibus enim lætitiis profectò tum incessimus, & HENRICVM Regem iterúmque iterúmque nominari, dici, cieri, promulgari iussimus. Iuuabat vsque HENRICVM, iuuabat Galliam, iuuabat denique Lilia iterari: & HENRICVM ipsum quasi oculis, Galliam auribus, Lilia denique ipsa naribus quodammodo nostris admoueri. Cùm interea temporis accersuntur tui Oratores ad constituendum nobiscum de propositis olim nomine tuo conditionibus. Vt hoc etiam tibi maximo argumento esse queat, non tam cõditiones vllas, aut vlla promissa tua tuorúmue, spectata fuisse à nobis in te eligendo, quàm virtutem modò & industriam ipsam tuam, quæ sunt veræ tuæ, vnicè à nobis in te adamatæ dotes: illud, inquam, tibi maximo argumento esse debeat, cùm audias, prius te & electum, & de-

& designatum, & renunciatũ à nobis fuisse Regem, quàm de conditionibus ipsis Electionis, designationis, renunciationis tuæ, cum tuis Oratoribus per nos transigeretur.

RESTAT actus veluti tertius & postremus, eorum quæ hanc istam gloriosam, & ad omnem posteritatem memorandam renunciationem tuam fuerunt consecuta. In quibus quidem recensendis hoc erimus etiam breuiores, quò & oratio sanè ipsa ad exitum iam properat, & res ipsæ, quas commemoraturi eramus, tibi quoque ipsi non multò minus quàm nobis, notæ sunt & perspectæ. Etenim cùm iam diutius gaudium lætitiámque nostram, quam ex illa non magis tui quàm nostri honoris accessione capiebamus, continere quasi in animis nostris non possemus, duo euestigiò fecimus: vnum, quòd eius rei nuncium subitò ad te, per literas & celeres admodum tabellarios, variis itineribus misimus: alterum, quòd statim pòst, Oratores quoque ipsos ac Legatos nostros, ex primoribus Senatorij & Equestris ordinis delectos, inuitandi ac postulandi tui causa, publico nomine, cum decreto electionis factæ, ex Polonia in Gallias vsque ablegauimus. Quorum vtrũque quale fuerit, non necesse habeo apud te dicere. Nam & literæ ipsæ nostræ, quod scimus, in manus tuas peruenerũt, & Oratores quoque nostri tecum hîc reduces compárent: iactati illi quidem, vnà cum literis, Per varios casus, per tot discrimina rerum, vt ait poëta:

ſed certè & noſtræ quidem erga te ſingularis obſeruantiæ tanta vis fuit, vt nihilominus in illa variorum caſuum diſcrimina, mittendos eſſe tot & tantos viros, taléſque & eiuſmodi literas arbitraremur: & ſimul hanc noſtram erga te obſeruantiam illud diuinæ gratiæ ac beneuolentiæ manifeſtum indicium eſt conſecutum, vt non ſolùm literæ ipſæ redditæ tibi fuerint, ſed etiam ipſum XIII Legatorum noſtrorum collegiũ, inter tot externas, &, cùm ſpaciis ipſis terrarum à nobis diſiunctas, tùm verò lingua etiam ac moribus abhorrentes nationes, in tantis maris & terrarum interuallis, vniuerſum propemodum vltrò citróque ſaluum atque incolume commeare, & legationẽ conficere, & ad nos deinde redire potuerit.

QVÆ quidem, Rex, omnia cùm ita ſint, debes profectò, quod toties dicimus, tum officia ſtudiáque hæc noſtra, tum multò etiam magis diuinas illas gratiæ & beneuolentiæ erga te ſignificationes, gratiſſima viciſſim tua beneuolentia proſequi: ita planè, vt & ea, quantum maximè potes, ſarta & tecta conſerues, quæ ſunt Dei immortalis, qui te ſua propemodum cœlitus demiſſa voce, ex mediis belli periculis ereptum, & ad hunc regium honorem accerſitum, ſuis etiam manibus, in regio ipſo ſolio iam iam collocabit: & rurſus, vt quæ noſtra ſunt, ea nobis, qui ſingularia Dei ipſius de honore tuo decreta atque iudicia, votis etiam ac ſtudiis noſtris libentes atque volentes proſecuti ſumus, virtute tua conficias ac re-

præſentes. Et cùm vna iuſtitia duæ eæ res, quas dixi, vberrimè contineantur, iuſtitiam aſſiduè præ oculis habeas, eáque ſemper actiones omnes tuas, in tribuendo tùm Deo quod Dei eſt, tùm nobis quod noſtrum eſt, moderere. Quid eſt autem quod Deo debeas? illud equidẽ, vt arbitror, vt, cùm is vno eodémque tempore non magis in Gallia ſalutis tuæ, quàm honoris in Polonia, paternam curam geſſerit, neque minus potẽter ibi te à periculis defenderit, quàm hîc ad dignitatẽ regiam prouexerit, & ámes eum tu quidem vt patrem, & metuas vt dominũ. Quæ vtraque ſi ita coniunxeris, vt & priuatim ipſe, quod tamen eniximè facere te audimus, caſtè eum & religiosè ſemper colueris, & publicè honorem ipſius nauiter vbique tutatus fueris, tum & ipſi illi abundè quod ſuum eſt reddideris, & ſolium præptereà ac ſedem tuam regiam mirificè firmaueris. Nobis autem, qui ſecundũ Deum honorẽ tuũ honore regio auximus, quíque te nobis Regem ac dominũ præfecimus, quidnam eſt quod potiſſimùm debeas? Equidem id opinor, quod nos præcipuè à te expectamus. Quid eſt autem quod tantoperè expectemus, niſi fortè id, quod dudum etiam in te eligendo ſecuti fuimus? Quid eſt igitur quod ſecuti fuimus? Num vt Regẽ haberemus longa ſerie atauos reges numerátem? atqui alij etiam æquè clari non defuerunt nobis aliunde. Num vt eum haberemus, qui acceſſionem nouæ alicuius ditionis regno noſtro adiungeret? atqui poſſeſſionũ abundè

nobis est: & earum sanè accessiones per se non faciũt regnum beatum. Num igitur vt haberemus, qui cæteros omnes orbis Christiani Reges ac Principes, vigore ætatis, formæ principatu, diuitiarum copiis, & reliquis id genus naturæ atque fortunæ blandimentis anteiret? Multò minus, nec enim ea sunt propriè regia. Quid igitur potissimùm spectauimus? Nihil planè aliud, quàm idem illud, cuius ipsius gratia, pro salute incolumitateque tua, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, tum hucusque ad Deum, magna cum animi nostri summissione, fudimus, tum deinceps etiam, quoad vixeris, semper fundemus: vt videlicet tuis auspiciis quietam & tranquillam vitam degamus in omni pietate & honestate: quorum altero securitas ab externis hostibus continetur, vt tranquillè scilicet, & sine eorum metu viuamus: altero, vt viuamus scilicet piè & honestè, securitas continetur à domesticis inimicis. Quæ duo quò sunt difficiliora, hòc magis nobis dux eiusmodi & auctor opus fuit, de quo hæc rectè sperari, & à quo etiam certò expectari posse viderentur. Non vereor, ne quis hæc tui aut excitandi, quod minimè est opus, aut multò etiam minus, quod fieri non potest, deterrendi causa, à nobis dici existimet. Quis enim aut deterrere queat pectus tuum generosissimum, & ad omnes labores ac pericula pro republica excipienda natum? aut verò excitare necesse habeat viuidam virtutem tuam, & ad omnem laudem & gloriam à na-

tura

tura ferè ipſa procreatam? Nihil hîc oratoriè agimus: id quod res eſt loquimur, & quæ tui muneris ſunt, ea tibi quàm breuiſſimè ob oculos ponimus. Quæ ipſa tu præſtabis ſanè non difficulter nobis, vbi voles: hoc faciliùs autem nobis quàm aliis, quòd ei genti imperaturus es, quæ regum ac principum ſuorum dicto audiens, quæque pręſcripto rectæ rationis & virtutis ita natura addicta eſt, vt huius quidem ſtudio ipſo & ardore, facilè in omni officio contineatur, illorum autem reuerentia & amore, libentius & efficacius quàm pœnis aut imperio vllo ſeueriore, in omne honeſtum inducatur. Aderit tibi ad hæc & ſuſcipienda, & gerenda, & perficienda, aderit inquã, non ſolùm corporibus, ſed etiam multò magis animis, Senatus ipſe, numero frequens, promptus ſtudio, auctoritate verò & gratia ita pollens, vt propter gratiam, nomen Fratrum maiorum, propter auctoritatem verò nomen Patrum & cuſtodum reipublicæ, communi omnium appellatione meruerit. Quos tu ſi in propria ordinis ipſorum auctoritate & gratia conſeruaueris, habebis profectò, qui conatus omnes tuos pro repub. ſalutares, ſtudio, conſiliis, conatibus denique ſuis proſequentur: vel, quoniam illi in hoc corpore reipub. ſub te capite, cordis locum obtinent, vitam proculdubiò omnibus tuis in republica honeſtis inſtitutis affatim largiẽtur. Aderit etiam non minus libenter quàm diligenter Equeſter ordo ipſe, qui in corpore hoc reipub. manuum tuarum

instar habet: cuius tu quidem ordinis si vires inspicias, vnicum regni tui robur atque firmamentum, sin splendorem & libertatem, insigne eiusdem decus & ornamentum iurè appellaueris: vtroque autem nomine thesaurum rectissimè dixeris, ac opes regni tui incomparabiles atque inexhaustas. Et alterius sanè ordinis prudentia atque consilio nunquam à recto aberrabis, alterius studio & obedientia, domi eris amabilis, foris admirabilis: vtrorumque autem virtute & concordia, vbique omnia quæ voles facillimè consequêre. Túne autem (quæso) adolescens, regnum Galliæ, fraternum potius quàm tuum, difficillimis temporibus, vnius propemodum tua virtute, ita administrare potuisti, vt tumultus ibi maximos compressisse, regiam maiestatem vindicasse, populos illos æquo iure continuisse, disciplinam veterem reduxisse, pacem & ocium desideratum regno restituisse perhibeare: & dubitabis nunc iam factus maturior, ac rebus illis gerendis etiam exercitatior, in tuo ipsius regno minimè desperatis, & certè non pessimis tẽporibus, auctore Senatu, adiutore Equestri ordine, ea te posse in animis Polonorum obsequentissimis, & ad omnem ductum rectæ rationis admodum morigeris, imprimere, quorum vestigia admodum illustria in Gallorum non solùm mentibus, sed etiam vrbibus, singulari tua virtute posuisti? Equidem, quod verè dicendum est, tum demum Gallicis illis tuis rebus gestis plenam fidem conciliaueris,

liaueris, cùm illarum ſimilitudinem in hoc quoque tuo Polonico Imperio ad viuum expreſſeris ac repræſentaueris. Tum demum te ratione potius & conſilio, quàm caſu & fortuna, res illas geſſiſſe homines ſibi perſuadebunt, cùm eiuſdemmodi res tuas geſtas hîc apud nos intuebuntur. Tum demum nos fructum electionis tuæ exoptatum conſecutos eſſe fatebuntur, cùm res noſtras tua virtute in meliorem ſtatum eſſe adductas non poterunt inficiari. Qua profectò in re ſi & officio tuo, Rex, & expectationi omnium noſtrûm ſatisfeceris, tùm & apud nos quidem eum tibi amorem conciliabis, vt libenti animo non ſolùm fortunas & facultates noſtras, iubente te exponere, ſed etiam pectora & latera noſtra hoſtibus pro te opponere, & vitam denique ac ſanguinem noſtrum pro vita & ſanguine tuo profundere parati futuri ſimus: & foris præterea apud vicinas omnes & externas gentes atque nationes, Rex eris per Dei gratiam clarus, honoratus, potens, inuictus.

ATQVE nos ea quidem ſpe freti, vti te antea expetiuimus, deinde elegimus, mox renunciauimus, tum promulgauimus, denique per literas & Oratores ac Legatos noſtros ex Gallia ad hoc regnum inuitauimus ac poſtulauimus, ita nunc iam præſentem, & intra regni noſtri fines conſtitutum, omni non ſolùm verborum honore, ſed etiam animorum cultu & veneratione, iterum atque iterum ſalutamus, tibíque hunc primum in hoc regnum ingreſſum benè atque

feliciter euenire cupimus, téque adeò vti magnum quendam angelum, ad regimen & custodiam populi Dei cœlitùs demissum, excipimus, atque tibi iam nunc non solùm honorem regium exhibemus, sed etiam ipsa regni insignia regiæ inaugurationis propria, promptissimis animis despondemus, omniúmque ordinum & statuum studia atque officia, totúmque adeò Regnum ipsum, cũ omnibus eius Prouinciis, ad te deferimus, & tibi etiam atque etiam commendamus, vtque nos omnes, exemplo antecessorum tuorum Regum nostrorum, gratia atque beneuolentia tua prosequaris, rogamus.

I tua, Rex, quò te virtus vocat, i pede fausto.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxiliũ de Sancto, & de Sion tueatur te. Intellectum tibi det, & instruat te in via qua gradiaris, & firmet super te oculos suos. Teneat manu dexteram tuam, & deducat te in voluntate sua.

VIDI FABRI, DOMINI A PIBRAC, AD SVPERIOREM PANEGYRICVM

Responsio.

REVERENDISSIMI & Illustrissimi Senatores, Vellem equidem, tantum in me esset ingenij, industriæ, & facultatis in dicendo, vt si minus copiosè & eleganter, satis tamen commodè interpretari, & explicare Latinè possem ea, quæ mihi nunc sacratissima Serenissimi Regis Poloniæ Maiestas præcepit vt exponerem. Sic enim & officio meo non omninò defuisse viderer, & vobis (scio) dilucida & aperta, quantumuis nuda & simplex, Regiæ voluntatis significatio, non modò iucunda esset, verum etiam honestos animorum vestrorum ad decus & laudem impetus, magnoperè inflammaret, & specie sua in animis omnium, qui huc publico nomine cõuenistis, mirabiles amores excitaret sui. Hoc vnum igitur mihi primùm, deinde vobis dolendum est, quòd suscepto, aut veriùs, imposito muneri impar, dum Regij sermonis dignitatem assequi & refer-

re frustra laboro, vos eo fructu carebitis, qui iucundissimus futurus erat, si directò ad vos peruenisset, nec aliena, hoc est mea, cultura acerbior factus, de vi sua & innata facultate penitus decidisset. Verùm, vt vt hoc sit, aggrediar ad rem ipsam: in qua illud primùm occurrit, de quo etiam priore loco dici à me Rex voluit: Ex multis scilicet diebus, quos in vita celeberrimos lætissimósque viderit, hunc esse clarissimũ. Potest quidem ille iure suo, & solet non sine magno voluptatis sensu, eius temporis meminisse, cuius vos memoriam posteriore orationis parte quodammodo renouastis, cùm omnium Gallorum votis, præcipuo autem & singulari Christianissimi Regis, Fratris sui, studio & impulsu, perditis & afflictis propè rebus nostris, ingentem Imperij Gallici molem, vixdum adolescens suscepit, susceptam fortiter sustinuit, & ab Aula in Senatum, à Senatu in Castra deductus, primo aditu & cõspectu suo, labantem & inclinatam Rempub. fulcire visus est: & fractos ac prostratos omnium bonorum animos in tam certam spem erexit, vt iam ferè oculis cernere, & manu propè tenere viderentur, quæ postea felicissimè & gloriosissimè sunt consecuta. Habet item iucũdissimam recordationem dies altera, in qua cæso & deleto, ad internecionem vsque, copiosissimo hostiũ exercitu, non modò præsentia, verũ etiam futura bella cõfecit, & priscam fortissimorum quondam Imperatorum laudem, iuuenis adæquauit. Nec certè tertia illa dies præteriri potest,

qua

qua Lutetiæ Parisiorũ, hoc est, in oculis Galliæ, & in luce Europæ, inter faustas omnium ordinum & ætatum acclamationes à Reuerendissimo, Illustrissimis & generosissimis viris, inclyti huius Regni Poloniæ Legatis, quos hîc reduces videtis, post publicam amplissimi & honorificentissimi Decreti recitationem & traditionem, Rex auspicatò solennibus verbis renunciatus est, & decreti vestri tabulis incumbens, tanquam accepto Imperij symbolo & tessera, in ciuilem Regni possessionem animo est ingressus. Sed neque illius diei celebritas, quæ maxima fuit, nec reliquarum quas commemoraui lętitia, cum hac conferri & comparari potest. Quantum enim magna distāt exiguis, dubia, certis: quantum inter spem, & rei cupitæ adeptionem & fruitionem interest: quantum futura præsentibus, efficta & adumbrata veris & solidis cedunt corporibus: quantum denique naturalia præstāt ciuilibus, tantum aliis hodierna lux antecedat necesse est: quæ meliore & candidiore lapillo dignissima, quod in reliquis nutare videbatur, ratum & fixum esse iubet: quæ Regi Rempub. suam, Reipublicæ Regem suum ostendit, quæ non chirographis, non tabulis nuptiarum, aut instrumentis, in quibus plerunque legi Corneliæ locus esse solet, sed re vera, sponso amabili, formosissimæ, comptissimæ, ornatissimæ, charissimæ & dilectissimę sponsæ suæ complexum, iucundè nunc primùm tribuit. Nulla vnquam veteribus sapientibus visa est aptior ratio significan-

dæ & explicandæ necessitudinis ac coniunctionis, quæ Regi cum Repub. intercedit, quàm quæ ducitur ex firmissimo nexu, & sacrosancto fœdere nuptiarum. Omnis quippe humani diuinique iuris fit in vtraque coniunctione perpetua quædam & religiosa cõmunicatio: sic tamen vt ex altera liberi mortales & caduci procreentur, ex hac verò certior & firmior proles gignatur, tot scilicet ciuium, quot Imperium capere potest, salus, felicitas & beata vita. Vxorem, corpus: vxoris caput virum Christus appellat: Sic Rempublicã corporis vicem obtinere, & in Repub. instar capitis Principem esse cùm dicimus, non prophanum aliquid ex placitis tantùm Philosophorum enunciamus, sed in Maiestatem Dei summi intuentes in eaque defixi, cuius voce humanorum imperiorum omnis ratio cõstituta est & sancita, vnitatem in Principis & Reipublicæ coniunctione ita significamus, vt tamen singularum partiũ ex quibus totum corpus coalescit, distincta esse munera & officia existimemus. Iam ergo nunc (quemadmodum cœpi dicere) Serenissimus Rex Poloniæ, voti sui tandem compos, non inuito & languenti animo, sed cupidè & ardenter, suę se miscet & inserit Reipublicæ, suæ se, Galliarum immemor, adiũgit (heû!) nimium amatę & dilectæ coniugi Poloniæ, cuius excellentem formam, & diuinam propè speciem nunc tacitus admiratur: in qua agnoscit antiquissimæ nobilitatis dignitatem, ab innumeris retro seculis gloriosa stemmatum

matum ſerie repetitam: à qua denique ampliſſimam copioſiſſimam, pretioſiſſimam & incomparabilem dotem ſperat: quid dico, ſperat? imò benè cautam & ſibi oblatam videt, imò hodie integrè numeratam, vtraque tenet manu, tot ſcilicet Religioſiſſimorum Antiſtitum, tot Illuſtriſſimorum & ſapientiſſimorum Senatorum, tot fortiſſimorum & nobiliſſimorum Equitum, fidem, amorem, beneuolentiam, charitatem, & ad omne ingenuum & liberale officij & obſequij genus, paratiſſimam, promptiſſimam, & obſequentiſſimam voluntatem. Errant certè non parùm, ſed HENRICI Regis veſtri iudicio maximè errãt, qui portoria, qui tributa, qui vectigalia, qui ingentes, & inexhauſtos pecuniarum annuos reditus, inter dotalia Reipub. potiſſimùm numerant. Ita ſe ille vel à natura imbutum, vel à doctrina & maiorum exẽplis inſtitutum & inſtructum eſſe profitetur, vt ciuium ſuorum & ſubditorum charitatem, & beneuolentiam, veram ac ſolam putet eſſe dotem: hanc potiſſimùm ſibi expetat, hanc perpetuam cupiat eſſe: eius fruendæ deſiderio iuueniliter & impotenter exardeſcat, eius augendæ & amplificandæ (ſi quid tamen ad eam addi poſſit) occaſiones omnes vrgere velit: eos denique ſolos Principes diuites & beatos eſſe putet, qui cum ciuibus ſuis honeſto & glorioſo certamine, mutuis ſcilicet beneuolentiæ & amoris officiis, perpetuò contendant, & cùm ſubditos ſuos chariſſimorum filiorum loco habeant, ab illis quoque

vicissim tanquam optimi parentes diligantur. Hæc fuit semper iam inde à puero Regis Serenissimi sententia, idem quoque vobis nunc videri, ex oratione vestra satis intelligit. In re verò grauissima suum cum vestro iudicio consentire non modò lætatur, verùm etiam inde facilè colligit, quanta posthac futura sit in Imperij administratione, animorũ, studiorum, & voluntatum consensio. Cæterùm quid anno superiore in eligendo Rege secuti sitis, & quid nunc expectetis, copiosè & ornatè à vobis dictum est: nec illa præteritarũ rerum commemoratio, collati beneficij exprobrationem habere visa est, sed potius singulare quoddam in maximis negotiis gerendis prudentiæ & sapientiæ vestræ testimonium. Huc enim illud pertinet (ni fallor) vos in eligendo Rege, & in ferendis suffragiis, mentem & cogitationem à rebus leuissimis abduxisse, nec spectasse vires corporis in Henrico, nec florem ætatis, nec stirpem Regiã, nec opes, nec diuitias, nec Gallicum ingens patrimonium, aut prouinciarum accessiones, nec reliqua huius generis bona: si modò bona dici possunt, quæ Sapientes vix vnquam isto nomine appellarunt, & quæ adeò fluxa & imbecilla putantur, vt sæuientis fortunæ ne stridorem quidem ferre possint. Virtutem igitur solam in tribuẽdo Imperio secuti estis, nec aliud quicquam præterea: in eam mentis oculos cõiecistis, eius splendore capti, tot illustrissimis Principibus, magnóque Imperio dignissimis cãdidatis vestris, HENRICVM in pe-

in petitione prætuliſtis. Hæc cùm publicè & ex omniũ ordinum ſententia atque mandato dicantur à vobis grauiſſimis viris, quorum omnis vitæ actio ab aſſentationis vanitate, & mendacij impudentia aliena ſemper fuit, nihil eſt profectò quòd poſthac vnquam ad eleuandam beneficij veſtri gloriam inuidorum vel inimicorum voces vim vllam habere poſſe putemus. Quæ autem de recta imperandi ratione, & optimi Regis officio, accuratè & ornatè nunc à vobis dicebãtur, ea iampridem HENRICO Sereniſſimo Regi Poloniæ cognita, meditata, & prouiſa fuêre. Nulla quippe ratio eſt benè gerendi, & adminiſtrandi Imperij veterum monimentis conſignata, cuius ille partes ſingulas, & momenta quæque ſtudiosè non perpenderit, eo certè animo, & conſilio, non vt inani & otioſa verborum diſputatione apud eruditos ſe venditaret, ſed vt cognitis & perſpectis iuſtitiæ fontibus, quidquid inter præcepta, honeſtum, inter exempla laudabile eſſet, in mores ſuos priuatim, & aliquando in vſus veſtros æquabili iuris deſcriptione transferret. Verùm ad benè rectéque imperãdum, & ad id quod inſtituit, quódque animo conceptum habet, hanc viam certiſſimam & compendiariam ſemper eſſe putauit, Anteceſſorum ſuorum Poloniæ Regum veſtigiis inſiſtere, quorum nunquam ſatis laudari poterit prudentia, ſapientia, fortitudo, iuſtitia, pietas, & reliquæ præſtantes & eximiæ virtutes, quas qui habent etiam in priuata

vita, & tenui fortuna, Principes dici & haberi possunt. Harum igitur virtutum præsidio septi & muniti demortui Reges, domi & foris claruêre, & ex paruo magnum hoc Imperium, quantum quantúmque est, effecere. Ab illis optimæ sancitæ leges, ab illis mores sanctissimi, & præclarissima instituta profecta sunt: ab illis ordo senatorius constitutus ea potestate, quæ veteris Senatus Romani auctoritatem propè referat: ab illis denique Equestris & militaris ordinis hominibus tributæ, virtutis ergo, perpetuæ immunitates, vt non modò ipsi, sed eorum posteri, dum ex maiorum suorũ virtute fructum caperent, magis ac magis ad eandem virtutem, & decus militare, accenderentur, & inflammarentur. Non putat igitur aliunde petendam sibi esse administrandi Regni regulam & rationem, quàm ex antiqua vestra consuetudine, & ex constituto olim vestro iure, à quo ne latum quidem vnguem discessurus est, nisi aut temporum ratio, aut publica vtilitas aliter suaserit. Incidunt quippe tempora nonnunquam, in quibus, vt nauigantibus interdum mutanda velificatio est, ita ab inueterato & recepto ciuitatis iure aut more recedendum. Verùm, vt scitis, in omni parte vitæ, inanis hominum cura est, & industria, sine numine diuino, & sine auxilio Dei, cuius nutu stant cadúntque Imperia, & quicquid hoc cœli ambitu continetur. Etenim, vt ille rectè scribit, Nisi domum aut ciuitatem Dominus custodierit, frustra vigilat qui custodit

ſtodit eam: quibus verbis non modò priuatarum rerum curam & ſolicitudinem, verùm etiam omnium Imperiorum genera pius ille vates, ni fallor, complexus eſt. Hæc igitur atque alia eiuſmodi quamplurima ſæpè ſecum reputans Sereniſſimus Rex Poloniæ, ſic induxit in animum, omnia conſilia ſua, ſiue domi, ſiue foris, omnia ſtudia & publica & priuata, omnes conatus, omnes actiones, omnes denique cogitationes ſuas ad Deum Opt. Max. referre. Sic à puero inſtitutus eſt ad pietatem, vt nihil antiquius habeat cultu diuino, & eo cultu, quem & verum eſſe cultum, & Deo gratiſſimum pro comperto habet. Optaret quidem in re longè omnium maxima, in qua animæ ſalus verſatur, nullam eſſe diſſimilitudinem & diſparitatem ſententiarum, atque id aliquando Dei bonitate futurum ſperat. Interea verò pacis & tranquillitatis amans, calamitatum etiam & malorum, quæ ex bellis ciuilibus neceſſariò oriuntur, alieno exemplo non ignarus, hortatur vos omnes, quotquot eſtis, vt communibus & coniunctis ſecum ſtudiis in eam curam incumbatis, nec vllo quæſito colore ſecuritas, pax, tranquillitas, & amicitia mutua inter vos minuatur. Quod ſi ſecus factum fuerit, non dubitat, quin florētiſſimum hoc Regnum, dum ſe ſuis viribus confecerit, ludibrio & prædę Moſchis, Tartaris, aut aliis Barbaris ſit futurum. Exciderat penè animo caput vnum orationis, quod videtur quodammodo præcipuum, illud ſcilicet, quo grauiſſima

quædam & prudentiſſima admonitio continetur, ne Rex electionem ſuam, ac tam immortale beneficium vni potius quàm alteri ordini aſcribat, ſed communiter omnibus ordinibus, & priuatim ſingulis hominibus, ſine vlla diſtinctione ſe debere putet. Facilis eſt & expedita reſpõſio. Nunquam aliter exiſtimauit Rex, quàm ſe pariter & ſingulis & omnibus debere: Mirabili enim non modò vtriuſque ordinis conſenſione, ſed concordibus omnium veſtrum ſuffragiis ſe electum & renunciatum Regem eſſe hactenus ſemper credidit, neque ad veterem perſuaſionem aliquid addi poteſt. Ergo omnibus debet, imò inſolidum omnibus debere vult: nec beneficij magnitudinem eleuabit aut minuet, imò augebit, numerus creditorum, quo minimè terretur, & quem ad laudem & gloriam ſuam maximè putat pertinere. Sed dum de referenda omnibus gratia honeſtas & propè quotidianas ſuſcipit cogitationes, quod poteſt ſolùm nũc per me exequitur: Habet gratias primùm Senatui, deinde Equeſtri ordini, imò ſingulatim omnibus Senatorij & Equeſtris ordinis hominibus, eáſque magnas, maximas, ingentes, & quantas animus capere poteſt.

HÆC ſunt quæ Sereniſſimus Poloniæ Rex, vt vobis exponerem, nunc in aurem præcepit. Sed ille præſtantia quadam animi, paucis quamplurima complexus eſt: ego contrà, tarditate & imbecillitate ingenij mei, multis verbis vix pauca dixi: quorum hæc eſt ſum-

eſt ſumma, Habere vos Regem non immemorem nec ingratum, magni animi & excelſi, ſtudioſum legum veſtrarum, cupidum vtilitatum & commodorum veſtrorum, bellicarum rerum ſcientia & gloria præſtantiſſimum, pietatis amantiſſimum, Reipublicæ ſuæ amatorem ardentiſſimum: à qua ſe nunquam diſiungi aut diuelli patietur: pro cuius ſalute, amplitudine & gloria, non modò facultates & fortunas omnes, ſed vitam etiam & ſanguinem cupiat profundere.

ITE ergo iam nunc omnes, Rex ſequitur: aut potius ſequimini, Rex præit: Ingreditur in Regnum Poloniæ, bonis ominibus, & felicibus auſpiciis, dextera Deo innixus, ſiniſtra veſtræ & omnium ordinum incumbens charitati.